

Petrus de Vinea

*Ep. III 21 (Dum perfectae
deuotionis zelum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 21 (Dum perfectae
deuotionis zelum...)*

febbraio 1247

Regi Anglorum significat, quod uult ire in Ytaliam, dimittendo filium suum in Regno uicarium generalem

1. Dum perfectae deuotionis zelum, cuius indissolubili nodo quodam Ysabellam consortem nostram carissimam, uestrae affinitatis ydemptitas lateri nostro coniunxerat, in tenacis memoriae libro perlegimus; dum amicitiae purae constantiam, quam ad uos et uestros amicabiliter gerimus, sollicita meditatione pensamus, ad H. dilectum filium nostrum, nepotem uestrum, cuius nomine regem Henricum, auum uestrum, gloriosae memoriae laudabiliter excitamus, quem tamquam durabile inter nos pignus amoris, fecunda nobis naturae prouisio contulit, fauoris nostri gratiam libenter extendimus et gratiae nostrae fauorem libentius propagamus. 2. Ecce itaque, pro arduis excellentiae nostrae negotiis ad repetendas partes Ytalias tam magnifice quam potenter accincti, prefatum Henricum, sacro fonte baptismatis tripudiali sollempnitate renatum, in regno Syciliae loco nostri ac uelut uultus et potentiae nostrae speculum, relictis sibi consiliariis, de quorum consilio toti Regno disponat, prouida nuper deliberatione prehabita, prouidimus dimittendum, facto in sollempni curia generali mandato uniuersis Regni fidelibus, ut eidem, quem inter eos uelut ymaginarium personae nostrae relinquimus, tamque personae nostrae reuerenter obediant et intendant. 3. De cuius tam longa dilatione baptismatis latere uos nolumus, quod ad preces quorundam amicorum nostrorum de papali curia, quos obaudire nescimus, et de ipsorum consilio fuerat hucusque dilatatum, ut, in reformatione pacis inter nos et Romanam Ecclesiam, in cuius expectatione diutina nostra sunt et multorum iam uota frustrata,

eo manifestius signa perpetui et constantis amoris ostenderet, quo traderetur sollempnius summo pontifici baptizandus. 4. Haec nos profecto uestrae serenitati describimus, ut, quantum uobis magnificentia nostra placere desideret, uestra serenitas a parte coniciat, et qualiter inter alios affines nostros personam uestram tenerius diligamus, argumentis euidentibus apprehendat.